

11
12
13
14
15
16
17
18




1704.

- 11^{a, b, c}. d. Ludovici, Jac. Fendler: De natura et interpretatione
sponsionum 4 Sept. 1704 à 1747.
- 12^{a, b}. Ludovici, Jac. Fendler: De facto tutorum a pupillis
non praestando. 3 Sept. 1704 à 1748
13. Nylius, Christianus Ulv: De reservatione hypothecae
à venatore facta in securitatem pretii residui
- 14^{a, b}. Nylius, Christianus Ulv: De reservatione hypothecae
à venatore facta in securitatem pretii residui
15. Schmeider, Joh. Fendler: De testamento principis
16. Schmeider, Joh. Fendler: De turbatione juris debitoris
17. Schmeider, Joh. Fendler: De crimine gratiae
18. Schmeider, Fr. Fendler: De murturatione praescripti
horum impediendi.

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]







20

1704, 19^e

GEORGII ERNESTI STAHL,
MED. D. ET PROF. PUBL. ORD.
h. c. FACULT. DECANI.
PROPEMPTICON INAVGVRALE
DE
PHILOSOPHIA
HIPPOCRATIS.

120

Stahl ch





Notabiliter certè, uti fere omnia sua, ita hoc etiam effatum, tanquam è Tripode profert SENECA: *tam sacram rem esse Philosophiam, ut illis etiam qui ipsa illam assequi non valeant, mendacio placeat.* Illud nimirum vult, Vir rerum humanarum æstimator integerrimus, quod multi *Philosophie* quidem nomen atque dignitatem non solum non contemnere audeant, sed vel affectare profus malint, & licet exercere illam & amplecti fastidiant, *nomen* tamen illius præ sese ferre, sive ut ejus sunt verba, Philosophiam & sese Philosophos *mentiri*, vel gloria sibi ducant. Apparet quam solide loqui soleant, qui vera loqui assueverunt. *Sacram* rem appellat philosophiam; At sacra profanis clausa esse, indoli utrorumque consentaneum est: aspicere interim, imo attingere claustra, & cortices veluti istos, sub quibus illa clauduntur, nec solent anxie prohiberi, nec fere possunt. Non potest, fieri, quin hæc secum reputet, quisquis eruditionis medicæ studiosus effatum HIPPOCRATIS: *Medicus Philosophus quasi divinus: Subinde allegari conspicit. Magnifica certe hæc sunt, ἰσόθεον, Deo similem, quasi divinum, fieri.* Non quidem ut *Vespasianus*, de morte propinqua, & frigido hujus inter ejus temporis superstitiones solatio, ἀποθεώσι Imperatorum, jocabatur: *puro mox Deus fiamus: sed longe alia via, quæ ingentem illam felicitatem largiatur, quam maximi quidem fecit, sed tamen non sperandam in hac vita decrevit peritissimus Scaliger, inquit: Fame beatus qui supervixit sue, & vivus meruit interesse laudibus. Quas vita non dat, funus & cinis darent. &c.* Interim illi, quibus hæc Hippocratis assertio Salivam movet, adeo quidem inconsiderati non sunt, quin intelligant, quod utique hæc felicitas, non tam ex arte, Medica, quam è *Philosophia* speranda sit; cum sensus utique sit manifestus, quod *Medicus* non simpliciter ut

ut talis, sed ut *Philosophus*, *Philosophia* inquam intuitu & prærogativa, hanc dignitatis opinionem adipisci debeat. Unde etiam *Philosophiam* imprimis Medico commendant, ut ita mirabilis fiat. Interim ingens profecto hic occurrit præjudicium experientiæ, quod licet, multi, imo modo non innumeri, *Philosophiam* æque *Medicinam* ita præ sese ferant, ut, qui illis, ut loquuntur, quæstionem status movere susciperet, etiam *Civilibus Juribus* gravem coercionem experiri deberet: tamen illa, liceat ita loqui, ἰσοθέωσις, neminem eorum sequi sentiat: aut, quibus utique quoquo modo imminere apparet, *mortales* plane efficiat illos *Divos*, quorum omnia cum ipsis intereant: contra solitam methodum, cum *immortales* alias, inter quotidiana nomina Deorum, primum locum ferat. Certe vel totum *Hippocratis* essatum fallere necesse est; vel vulgares illius interpretationes: aut aliquis lateat error. Puto vero *Hippocratem* possessione veritatis non temere cessurum, cum sui ipsius exemplum allegare possit classicum; siquidem & vivo adhuc aram Athenis dedicatam memorant: & immortalis ejus gloria, in hunc usque diem *divinitatis* diserto elogio non destituitur. Unde verisimillimum videtur, errorem latere in illo *Philosophia* genere, quo nominis *immortalitatem*, medico obtinendam sperant posterii *Hippocratis*. Ut itaque Vir quidem meritissimus, ab omni opprobrio liberetur, & si cui hæc iter in cælum cordi sit, habeat quod experiatur: certe si callem tenuerit arctiorem, quidem forte inventurus, sed certiore, vel *Appia via*, (qua *Augustum* ac *Tiberium* post mortem profectos, fuit qui vidisset, *Sueton.* Cap. C.) vel lactea, (qua iter est *superis* ad *magni tonantis*, interprete *Ovidio* *l. Metamorpho*) Quod autem verum sensum *Philosophia Hippocratis* concernit, puto illum longe evidentiore esse, quam ut fallere possit. Locus est volum. de *Habitu decente*: *Predicta, ait, singula colligere oportet, & Sapientiam, σοφίαν, ad Medicinam traducere, & Medicinam ad Sapientiam. Medicus enim Sapientie amator seu Cultor, quasi divinus, seu Deo similis: Quæ enim ad Sapientiam spectant, in Medicina*

insunt omnia, pecunia contentus, verecundia atque reverentia, modestia in vestitu, bona existimatio, iudicium, lenitas, promptitudo, mundities, sententiosa eloquendi concinnitas, scientia expurgationum, quæ ad vitam maxime utiles imo necessariae sunt, ut harum liberatio, superstitiosi fortuna metus absentia. Jam si quis hanc Philosophiam perpendat, qua Hippocrates Medicinam ad fastigium illud tanquam divinitatis alicujus ascendere posse supponit, facile puto intelliget, quod non de alia, quam practica penitus, ad mores atque vitam pertinente sapientia, loquatur, quæ non magis sciat quam faciat, & amet facere, bona. Elucet tamen, quod reliqua quidem illa, magis ad Ethicam referat, probitatis nimirum, humanitatis, promptitudinis, prudentia, studium: sed inprimis etiam physico medicam veritatem Medico solidè cognitam, etumque illius peritum esse velit, tum *σφίσις* illius partem agnoscit, scientiam expurgationum, ad vitam utilium & necessariorum. Sicut autem hac ratione, hæc inquam sapientia instructus Medicus revera gloria non indignus est; ita longe utique hæc abest, à reliqua illa Philosophia, quæ sequioribus temporibus hoc nomine vocari consuevit, de qua jam suo tempore monuit laudatus Seneca Epist. 108. *præipientium vitio peccatur aliquid, qui docent disputare, non vivere; aliquid discendum, qui propositum adferunt ad preceptores suos, non animum excolendi, sed ingenium.* Itaque quæ Philosophia fuit, facta Philologia est. Manifestissimum hoc est in illa realitè Philosophia parte, quæ circa Naturam humanam occupari debet; hæc apud Hippocratem iterum longe diversam faciem habet, quam aliis post ipsum temporibus. Ita enim monet Lib. de Natura humana, in ipso limine: quod quidem illis, qui de Natura humana differentes, audire consueverint, supra, quam ad Medicam facultatem atinet, illis suis sermo non commodus futurus sit. Et Lib. de Prisca Medicina: *Naturæ cognitionem non aliunde habendam arbitratur, quam è Medicina; qualem idemum facilius percepturus sit, qui ipsam Medicinam rectè undiquaque comprehenderit.* Et simul sententiam suam profiteretur, quid ferendum sit de considerationibus hominis supra & extra Medicum scopum, dum eodem loco ait: *Medici quidam Sophista dicunt,*

dicunt, fieri non posse ut quis artem Medicam cognoscat, nisi noverit quia sit homo, & quanam ejus prima generatio, & compositio. Ab his quae de Natura scripta sunt, arbitror Medicina quidem minus conducere, quam pictoria Arti. Et profecto, & ille Hippocrates inquam, & Galenus, tum ipse Democritus ad Hippocratem, frustra, Naturam Medico ita imitandam proponerent, ut etiam ejus minister ipsis inde audiat, ipsi aliena illa ab humana Natura ab ipso requirere voluissent: utpote quae quocumque tandem modo ad hoc desideratum ministerium, quidnam facere possint aut debeant, nemo valeat perpicere. Ita vero etiam rationalis Philosophiae tum hinc inde, tum primis lineis Praeceptionum suarum anxie profus inculcat methodum, ne videlicet ratiocinia ad res, sed è converso res ad ratiocinia, dirigantur. Sane vero, quantum ab hac Hippocratis Philosophia, discrepet illorum tentamen, qui non opiniones firmas è rerum veritate elicere, sed res secundum suas opiniones explicare insolentem more positum habent, nec unde facilius, imo vero luculentius, intelligi potest, quam ex illa hodie recepta Pathologia: Ubi sane lepidum est audire perpetuas illas argumentationes hypotheticas: Si acrimonia peccat in sanguine, si illa alabitur nervis, si restagnat in hac vel illa parte, si hanc vel illam partem stimulat &c. necesse est sequi motus spasticos, dolores, coacervationes, eruptiones &c. Interim tot sunt certorum atque manifestorum sapidorum assumptiones, tot sunt etiam manifestarum salinarum corruptelarum provenus, in quibus partim plane nullus morbus, partim nullus talis, quales illi volunt, sed communiter rariores, obtingunt. È contra, si sermo sit de illis rebus quae valde frequenter, imo familiariter, circa morbos obtingunt, ut circa certas aetates, circa certas praegressas consuetudines, imprimis consuetas evacuationes, specialissime vero rem toti utriusque sexui muliebri, quin etiam non ita raris exemplis virili sexui familiarerem, exquisitè statos recursus vitalium actionum, ibi exspiravit simul & semel univertum Si, Si.

Quemadmodum autem Hippocrates noster illud, quod
A 3 ipse

ipſe *Philosophiam* vocat, non hiſce ſolis paucis, ſed innumeris locis atque ſchematicis, ita *poſitive* commendat ac inculcat; Ita non paucioribus locis atque verbis, etiam *privative* atque *remotive* eandem docet. Dum Medicum ſuum dehortatur ab animi *vanitate*, *precipitantia*, *quaſus aviditate*, *ſocordia*, *garrulitate*, *loquacitate*, *calumnia*, *invidia*, *irritis ſpeculationibus*, *temeritate* atque *timiditate*, *imtemperantia*, *negligentia*, imò fundamenti loco *Φύσιν*, *indolem ingenii* in ipſo requirit, cui inſit *omnis bona diſpoſitio*: ipſa vero lege ſua ſancit, ut ſibi caveat, tanquam à theſauro mali, ab *imperitia*. Et cum hinc inde cordate invehatur in tales, undique certe dictis atque factis hoc egiſſe apparet, ut oprime conſtaret de animi ſui ſententia, qualis ſit illa *Philosophia*, quam ipſe Medico ſuo, non decorem magis, quam neceſſariam commendat. Præ qua cum aliter inſtituat *Philosophia*, vere nihil aliud ſunt, quam *Philosophia*, mirum non eſt, ſi ſubreptitiis talibus artibus, *divinæ illius laudis contrarium merito eveniat*, nempe ipſius *Hippocratis ſtylo*: *opprobria illis, qui ex opprobriis toti conſtati ſunt*, nempe qui reali *Hippocratis Philosophiæ* realiter *oppositum* ab ipſo damnatum amplectuntur aut certe ad minimum longe abſit quidvis *ισόθεον*, ab illis, qui licet *opposita* non agant, *convenientia* tamen non magis agunt. Quemadmodum autem putamus, ita ſatis conſtare poſſe, quæ *Philosophia*, Medico ſuo *ισόθεον* fieri promittat *Hippocrates*; Poteſt fortasſe non majore labore etiam cognoſci, in quoniam illa *ſimilitudo divina* conſiſtat, quam *Philosophus noſter Divus* laudat. Equidem antiqua lex eſt: quod earum rerum, propter quas *dicuntur aſcenſus in celum, delubra fieri juſtum ſit*: quaſi diceret, *divinæ cenſeri debere, res, quarum converſatione & uſu in celum aſcendere. i. e. paganorum ſeu Deum fieri ſit integrum*. Dubito vero an *Hippocrates noſter* ad hanc quidem *divinitatis ſpem æque adjecerit animum*, quando de *ſimilitudine illa divinitatis ſermonem habuit*; Credo illum, aut virum prudentem, magis ſenſiſſe cum reliquis etiam paganæ religionis *philosophis*, qui *acroaſibus* ſuis nihil magis in *Deo* agnoſcebant, ad quod

quod homo aspirare posset, (nem de infinita potentia, scientia, sapientia, constantia, non erat sermo) quam *reble agendi voluntatem*, imo *amorem*: & *reble factorum conscientiam*: & circa utrasque has res, *tranquillam gaudium*, &, sit verbo *venia, acquiescentiam*, quam Græci vocant *δωράξεναι*, in qua cum mutus sit *Epicurus*, non parciore utique, sed etiam clariore est ipse *Seneca*. Hanc ipsam etiam putamus esse *Hippocratis* nostri *ισοθεότητα*.

Præmittere hæc placuit Disputationi Inaugurali quam propediem habiturus est.

DN. JOACHIMUS COBER,

PRIZWALCIA MARCHICUS,

MEDICINÆ CANDIDATUS DIGNISSIMUS.

DE cujus honesto genere atque indole, studiorum quoque egregiis progressibus, ut præcipua publico impertiamur; Natus ille est Prizwalciæ, Patre Ampliff. & Consultiff. DN. GOTHOFREDO COBERO, Consulatum Civitatis etiam avitum gerente, Matre honestissima femina, CATHARINA, Ampliff. DN. SIGISMUNDI SCHAUM, Consulif quondam ejusdem Urbis, jam beati, filia. Postquam in pietatis atque probitatis disciplina adolevit, domesticorum Præceptorum Informatione, rudimentis literarum meliorum imbutus, Rectoris Scholæ patriæ optime merentis Clariff. DN. JACOBI Nieben/manuductione dextrerrima potitus est, quam, una cum insigni an ore atque fide hujus optimi viri, gratissima mente recolit. Missus hic in Scholam Neo-Brandenburgensem Megapolitanorum, duorum annorum spatio Clariff. DN. M. STRIKERS Rectoris spectatissimi, fide atque industria singulari eruditus, tandem à Dilectissimis parentibus Berolinum missus est, quod per duos annos, & quod excurrit, frequentavit. Tandem Halam nostram accessit, & Regiæ hujus Academiæ auspiciis iniriatus, Medico studio sese addixit, eique indefessa plane industria operam navavit. Auscultavit autem Lectionibus publicis Excell. D.

D

D HOFFMANNI, nec non Anatomicis sectionibus ab ipso administratis, interfuit. Experimentis etiam DNN. DD., qui inter Prædicos suos labores Exercitationibus rariis Theoreticis vacare susceperunt, nominatim D. HOPSTETER, & D. HASPERGEN, audivit Physica, Anatomica, & quæ ad Medicam Materiam spectant, tractantes. Me quidem, & Cursum Medico operantem, & iterum seorsim Physiologiam, Pathologiam, Chymiam fundamentalem & Experimentalem, docentem: Praxin etiam duobus Collegiis præmonstrantem, & publice Pathognomonicam tradentem, & Naturam explicantem, & Botanicæ excursionem suscipientem, individuum comes, & solertissimus auditor, perpetuo sectatus est, & privato quoque studio indefesso labore incubuit. Cum hac ratione, benedicente Deo, eo pervenerit, ut sibi ipsi in posterum consulere certissime valeat, & ad Praxin ipsam animum adjecerit, Jura atque Privilegia à Facultate nostra modeste postulavit, eoque nomine ad Examina consuetæ admittitur, profectus in arte egregios abunde nobis exhibuit. Superest ultimum Specimen publicum, Disputatione Inaugurali edendum quod paratus est aggredi Proximo XIX. Martii, sub meo Præsidio PUERPERARUM AFFECTUS ventilaturus. Ad quem Actum Solennem, Illustrissimos, Illustres, Magnificos, Pl. Reverendos, Excellentissimos, Experimentissimos, Amplissimos, utriusque Reipublicæ Procures, Senatores, Cives, Hospites, quibus par est obsequiis, observantia, officiis, humanitate demerendos, officii nomine invito. P. P. Sub Sigillo Facult. Hal. Magd, XVIII. Martii MDCCIV.





ULB Halle
001 871 366


3




sb

1018







20

1704, 19a

GEORGII ERNESTI STAHL,
MED. D. ET PROF. PUBL. ORD.
h.c. FACULT. DECANI.
PROPEMPTICON IN AVGVRALE
DE
PHILOSOPHIA
HIPPOCRATIS.

Stahl

120

